

*de Homicid.* Nam & iste instar latronis rota est puniendus; cum hoc delictum videatur adhuc latrocinio gravius, propterea, quòd ob simulatam amicitiam offenso tollatur naturalis defensio, cum nullum periculum ab eo potuerit præcaveri, eò, quòd amicum se simularet alter, *Dd. ad l. 14. C. Qui accus. non poss.* Latens inimicus sub specie familiaritatis & amicitie multum nocere potest. Vide Gomez. *Tom. 3. Var. resolut. c. 3. num. 4. fol. 481.* Alicubi tamen homicidium proditorium punitur gladio, sic tamen, ut decollati cadaver rotæ imponatur, cum primis, si in via publica illud homicidium commissum fuerit. Vide Carpzov. *part. 1. qu. 7. per tot. fol. 30. 31. & seqq.* Et *qu. 44. n. 46. fol. 126. Pr. Criminal.*

(3) *De Assassinio*, de quo crimine prolixè agit Farinaceus *part. 5. qu. 123. fol. 221. & seqq. Crimin.* Tria autem ad istud delictum requiruntur, (a) *Mandatum & pactum ad occidendum*: nam in eo inter alia Assassinium consistit, ut ad alterius mandatum per insidias committatur, & quidem præcedente speciali pacto. Unde non simpliciter ex mandato, sed potius ex singulari quodam pacto tale delictum committitur. (b) *Interventio pecunie, vel alterius rei*, ut nimirum pecunia vel merces interveniat, sive illa soluta, data, vel etiam promissa fuerit. Nam ad Assassinium non sufficit committere, aut mandare alicui, ut is alterum interficiat, sed requiritur, ut pactum de occidendo sub promissione vel etiam solutione pecuniæ intervenerit. Est enim homicidium conductitium, quòd absque mercede non perficitur. (c) *Executio mandati*, ut Assassinus homicidium peragat, hoc est, hominem vel planè interficiat, vel ad minimum saltem deveniatur ad actum proximum, seu, uti id interpretatur Tiberius Decianus *l. 9. c. 30. n. 38. f. 137. Crimin.* ad aliquam offensionem vel insultum, dum nimirum Assassinus incipit alterum offendere, vel eum quoque vulnerare. Vide Theodor. *c. 7. n. 4. & 6. p. 768. 369. Crim.* Carpz. *part. 1. qu. 19. n. 27. fol. 89. Pr. Crimin.*

Quamvis diversis in locis diversimoda fortean inveniatur ratio puniendi Assassinum, tamen ex analogia juris in hoc Articulo statuti utique & ille est poena rotæ plectendus (α) Is enim insidiatur alteri, & si aliter propositum suum exequi non possit, simulat amicitiam, ut sub isto prætextu eum possit occidere. (β) Ex pacto sub spe lucri homicidium committit, & committere vult, quapropter tanquam latro est puniendus, cum & assassinium æquiparetur latrocinio, quòd etiam approbat Bocerius *l. 1. c. 3. num. 149. p. 168. 169. de Homicid.* quamvis Carpzovius dicat: *in foro Saxonico receptum esse, ut assassinus prius capite plectatur, & deinde cadaver*

rota